

exempli causa pauca subiecimus.

*Fortes fortuna adiuvat.*

*Obsequium amicos, veritas odium parit.*

*Sine Libero & Cerere friget Venus.*

Licet hæc apud Terentium sint: Item quod inter Senecæ verba connume- rant.

*Avarus nihil rectè facit nisi cum mori- tur.*

Sic est profectò: viuens enim nulli bonus, nec sibi nec alteri, moriens hæredem voti compotem facit, & se curis liberat nulli malus. Item illud:

*Summum ius, summa iniuria.*

Quod sanè, vt Cicero vult in Officiorum libris intelligitur, & sanam habet sententiam, si non ad localem vnionem contrariorum trahitur, & non minus sapienter dictum apparebit, vbi in animum venerit, quantò plura flagitia in magnis vrbi- bus, quàm in solitudine perpetrantur: Su- peruacuum per singula discurrere. Hic raptum filix, ille vxoris adulterum, alter fratris, alter nati violentam mortem de- flet, hic immeritum carcerem, hic acu- leum passus est, hic furtum pertulit, hic rapinam, hic præsidis, hic potentioris vi- cini superbia quatitur, hic de verborum,